VIRES. EX DIOSCORIDE.

Castaneæ adstringunt, eademq; quæ glandes possunt. Potissimũ autem quę inter carnem & corticem membrana est. Caro his qui Ephemeron, hoc est, Colchicon, biberunt, accommodata est.

EX GALENO.

Castaneæ inter omnes glandes principatum tenent, solæq; syluestrium fructuũ alimentum memorabile corporibus præbent.

EX PLINIO.

Castaneæ uehementer sistunt stomachi & uentris fluxiones, sanguinẽ excreantibus prosunt, carnes alunt.

EX PLINIO VALERIANO.

Castaneæ ex omnibus fortissimũ quidem cibum corpori præstant, sed qui difficilè concoquatur. Coctæ autem in carbonibus, uel in fictili uase sicco assatæ, & cum melle ieiunis datę, tussientibus prosunt. Aqua in qua cum suo cortice decoquũtur, cœliacis, dysentericis, sanguinemq; excreantib. bibenda haud inutiliter propinat. Interior membrana quæ corticẽ fructumq; discernit, ad tertiam partem decocta in aqua & potui oblata, mirè aluum fluentẽ refrenat, adeò ut Dioscorides putet etiam cathartico dato, per hanc potionem iri obuiam posse, si plusquã necesse sit, purget.

EX SYMEONE SETHI.

Copiosum corpori alimentum præbent, tardè transeunt, & difficulter coquuntur. Crassum humorẽ, capitis dolorem, & flatus efficiunt, uentremq; sistunt. Si torreantur, aut siccentur, multum nocumenti deponunt.

APPENDIX.

Capitis dolores creant. Inflationes pariunt, cõcoctu difficiles. Tostæ tamen crudis innocentiores sunt. Arefactæ multum noxæ remittunt. Tritæ cum melle & sale rabiosorum canum morsibus imponuntur. Mammarũ duritias discutiunt, cum hordeaceo polline & aceto impositæ, ijsq; uino maceratis, & cum farina subactis, pessi uice utuntur ad supprimendos menses.

DE CARYO BASILICO. CAP. CXLI.

NOMINA.

Caryon unde Græci appellarint.

KAPYON βασιλικὸν Græcis, Regia nux & Persica, Iuglansq; Latinis: officinis Nux simpliciter, Germanis Welschnuß appellatur. Κάρυον autem Græcis à capitis grauedine uocatam esse notissimum est. Nam folia arboris huius grauem expirant halitũ, uiresq; eius in cerebrum penetrãt, atqueadeo eos sopore tentans lædit qui sub arbore decubuerint. Basilicã uerò, Regiámue & Persicam, eò quod è Perside primum in Græciam à regibus delata sit, dictam esse constat. Iuglandem à iuuando & glande nominatam existimant.

Basilica & Persica cur dicta.

Iuglans.

FORMA.

Arbor est prægrandis, multis prælongisq; nixa radicibus, procero caudice, multis summatim ramis ingentibus brachiato, ad binûm ternúmue cubitorũ complexus sæpius crassescente, cortice hiulco, & in rimas altas dehiscente, foliis latis, oblongis, è iucundo grauiter subolentibus, patulamq; iaculantibus umbram & insalubrem, per autumnum deciduis. Verni temporis initio ueluti quodam gestiente foliorum conceptu, panicula prælonga, callo squamatim compactili protracta, ordine nucis pineæ protuberat, dehiscitq;. Flauescens statim quàm frondem facere cœpit, nutans caducaq; prolabitur. Tum super ramenti huius pediculũ flos erumpit, totidemq; calyculacea tegumenta quot flores petiolo contrahuntur, singulisq; ijs singulæ includuntur nuces, multis munitæ inuolucris, primum herbaceo cortice, mox ligneo putamine, dein tenui tunica. Crispi intus nuclei quadripartitò digerun-

Vmbra Iuglandis arboris insalubris.



IVGLANS